CONSILIUM, AD PRINCIPES POPULUMQUE CHRISTIANUM, DE BELLO, ADVERSUS...

Sincerus Germanus, Valenti Gonzaga

CONSILIUM

AD

PRINCIPES POPVLUM CHRISTIANUM,

UT BELLUM ADVERSUS TURCAM UNANIMES SUSCIPIANT.

REGNORUM Rerumq; publicarum machinas, Magnæ Christiani Orbis Reipublicæ Magni Principes, cùm duobus præcipuè, militaris scilicet, & togatæ prudentiæ fundamentis, Deus inniti iusserit: hæc eadem vobis adminicula concessit, ut tam præclara, tam magnifica dona, tanto labore condita, & veluti per manus tradita, assiduâ industriâ exornetis, conservetis, & intacta ad posteros transmittatis. Et quàmquam suâ, hæ duæ artes, naturâ, plurimùm inter se differre videantur: cognatas tamen, si propiùs rem introspiciamus, inter se esse, & arctissimo cohærere vinculo, nemo ibit inficias: cùm non tantùm utilis sit & iucunda, quam fovere debent, unio: sed etiam

 con-

coniunctione reddātur potētiores, fiatq; nescio quo modo, ut cotis instar, alteram altera perpolire & exacuere credatur. Et sicut occultâ magnæ Matris naturæ vi, dotatus & ditatus magnes, ferro conclusus, ferrū attrahit fortius: sic togata & militaris scientia, ferreis ac adamantinis Martis armis tecta, nihil est quod nō perrumpat, & viam nullā inviā, nec invidiā ipsam, nec potentiam roburvé ullum timet, aut expavescit. Vos igitur omnes alloquor, Magnanimi Heroes, Duces, principes Christiani: quibus tutelam & curam tot animarum, qui eas redemit, cōmisit. Aggredimini hostem hereditarium Turcam; Arma capite: Animos iungite, & vires: Togam & sagum: prudentiam & fortitudinem. Ibitis. pugnabitis: vincetis. Bellum graue & periculosum tot annos, tot secula, iam vobis infert Tyrannus. Vobis inquam, quos omnes per latus aliorum, qui sanctū DEI Trini & Uni9 nomē & numen, quod vos colitis, colunt, vulnerat atq; infestat. Et quanquam remotissimæ, Germanorum & Gallorum, Provinciæ, longè à periculo abesse videntur: Idem tamen & cōmune incendium, ad asserendam vos omnes libertatem communem & salutem, invitat. Hostis est potens: est callidus: est rei militaris scientia peritus. Et hanc ipsam, quam sancivit, pacem, ut in

 detri-

detrimentum vestrum vertat, dat operam. Causas quæ vos incitare, & ad concordiam impellere debẽt, breviter coacervate. Inde modum belli gerendi cognoscetis, & viam Triumphi: quæ quanquam vobis sint perspecta, tamen operæ precium erit, & denuò in memoriam vobis, quæ sunt artes vestræ, revocare: & brevi sermonis ambitu, tam magna, tam ardua, tam gloriosa amplecti ac enarrare. Multę sunt gravésq; causæ, sive inveteratum acerrimi hostis odium, sive potentiam spectetis, & vires, sive consilia, & propositum Tyranni consideraveritis, quæ vos movent, ut arma arripiatis, induatis, nec unquam deponatis, donec victoriam integram consecuti fueritis. Christianos, & omnes qui iussa ipsius detrectãt, implacabili odio insequitur Turca. Sanguinem vestrum sitit: Unumquemq; nostrûm, ad cædem, ad exquisitissimum tormenti ac necis genus designat. Testãtur, qui in Ungaricis & terrâ mariq; tentatis expeditionibus, barbaros viderunt, audiverũt. Voces, actiones, gesta Turcarum ipsa testantur. Sub Amurathe I. qui Europam turbarum tubarúmque hostilium clangore, & sanguine & cæde, & truculẽtia implevit, Christianorum copiæ, auspiciis Cæsaris Sigismundi collectæ, manus conserunt: Terga vertunt; cæduntur. Ex nobilitate capiuntur complu-

res: Galli cumprimis. Ex his quatuor vel quinque quòd regii partim essent sanguinis, vitam precariam impetrant. Reliqui ad unum, post pugnam, manu Carnificis intereunt, iubente, & applaudente Tyranno. Videte, & cum stupore attendite, quæ in Cypri Regno, Mustapha patravit.

Is cùm sub amicitiæ specie, Bragadinum, supremum Venetorum præfectum, in Castra vocasset, paulò pòst tantum virum, sub servile iugum miserrimũ adactum, vivum excoriari, & acerbissimè enecari iussit. Pellem cadaveris, cùm corpus ipsum inhumare non possent, duobus millibus aureorum Veneti redemerant. Post Selymum II. qui Mustapham in Insulam Cyprum miserat, regnavit anno 1575. Amurathes Secundus. Hic filiam Ebraimo mancipio, Bassæ titulo decorato, despondet; hac lege, ut Drusis, qui ad Libanum montem non sub Mahometis, sed propriis statutis degunt, bellum atrox inferat: Et sanguine, spoliisque miserorum onustus Regiam ingrediatur.

Paret ille dictis, & inopinatos petit: Multa millia miserorum trucidat, Macademo non infimæ dignitatis Duci illudit, & in Castra abrepto, vivo pellem incredibili dolore detrahi iubet. Non erat ille quidem Christianus; sed Exemplum hoc ad nos no-

strós-

ſtrósque referre, & ab uno crimine reliqua omnia diſcere, iuvabit. Et ut Druſi, de quibus ſermo eſt, quinam ſint, percipiatis, brevibus ſcitote: Origine ipſos eſſe Francos ſeu Gallos, reliquias eorum, qui tanto olim zelo, & memorandâ in poſteros pietate arma in Palæſtinam, ad impugnandos iniuſtos poſſeſſores intulerunt. Hi poſtea Barbaris permiſti, fidem Chriſtianam & originem ferè deturparunt, & Mahometicæ ſuperſtitioni ac circumciſioni contradicentes, novum, ipsiſque ſolùm notum prophetam Ismanum ſunt ſecuti. Principibus & Regulis hodiè obediunt, quos Emiros ferè vocitant: Turcas protectores, non Reges, agnoſcunt. Bellicis laudibus inclareſcunt, & propè Joppem & Jordanũ Terras arant.

Horret animus, reliqua Baſſarum Turcicorum & quæ ſub Mahomete & Selymo acciderunt, perfidiæ & truculentiæ exempla recenſere. Tota ipſorum vita ex iniuriis & crudelitate conflata videtur. Ponamus nunc ob oculos immenſam huius Regni & vix multorum ſimul, magnorúmq; Dynaſtarum viribus æquandam potentiam: quam nec Perſarum, nec Hiſpaniæ, nec Tartarorum Duces ſuſtinere nedum ſuperare valent. Vaſtas & populoſas & florentes poſſident Provincias. Equitatum educunt

im-

immẽſo numero, & ſine numero. Pedites ſunt fortiſsimi, & nullo non labori perferendo. His ipſis natione Chriſtianis, ad Chriſtianos opprimendos (ô dedecus peſtémq; noſtri generis!) abutuntur. His ipſis adminiſtris, & Babyloniæ, Damaſci ac Ægypti Sultanos, extinxerũt, & Perſas, Georgiãósq;, in ſummas anguſtias compulerunt. Sunt Georgiani (nam de Perſis poſtea verba faciemus) maris Caſpii accolæ, qui Armeniam & Iberiam veterem attingũt, flumen Araxem lingunt: & nomen Chriſto Salvatori, cum Græcis Eccleſiis dederunt: In Reſpublicas, ſub ſex Ducibus vel pluribus, diſſecti. Sericó abundant & venationibus. Sæpius timore adducti & vi maiore Turcicis, mox iterum propriis legibus ſubiecti. Perſas potiſſimum Protectores venerantur, magnâ libertate. Civitates ſunt primariæ, Teflis, Goriam, Cliſca, Altuncula, Tomanis, Baſſachica, Zaghena. Confinia ſaltibus, rupibus, & vallibus clauduntur ad montem Periardum. Perſarum Monarchiam, populi Statuta & mores, & Ceremoniæ & Religio, & non vulgare odium, à Turcis potentiâ longè, ſed & barbarie ſuperioribus, dirimit. Quanquam enim initiò, Turcæ & cum Turcis Perſæ, multiq; Orientis Incolæ, nefandum Mahometis & Ali Generi ſuperſtitionem ſequerentur, & tres ſucceſſores, Albubacherem,

cherem,

cherem, Omarem, Ottomanum venerarentur, ſecutum tamen eſt tempus, cum Secgiumetus, novus Impoſtor, ſurrexit, & infinitam populi multitudinem ignotis præſtigiis, adverſus tres illos ſeductores, quos diris devovere iam nunc aſſolent, inſtigavit. Hinc eſt, quòd in Perſia Mahumetes quidem & Ali, magno in honore habentur: Tres verò, quos diximus, Turcarum protoſtatæ, maledictis & execrãdo damnandi modo, ſingulis diebus, & appoſitis votis dilacerantur. Verùm piget de profanis & abominandis ritibus tam multa diſſerere. Animi fortitudine Turcis ſuperiores, ſed potentiâ impares eſſe Perſas, ex eo nullo negotio dignoſcimus, quòd cùm circiter annum ſalutis 1585. Tauriſium, Civitatem Perſarum ampliſſimam nullis licet munitionib. cuſtoditam, & antea à Solymanno ferè deletam, Oſmannus Baſſa ab Amurathe miſſus cepiſſet, & Perſis multa alia loca Turcæ eripuiſſent; Perſiæ Regis Hodabendi filius Emirhamſęus inſigni animi robore & audacia præditus, vix 70. millia Equitum ex omnibus Regni angulis, in Turcicum Exercitum triplo maiorem educere potuerit. Formidini erant Turcæ Perſis: Copias habebant ab omni apparatu inſtructiſſimas: Tormenta & quæ ad victum atq; uſum requirebantur, ſuppeditabat vigilantia & pro-

vidus Ducis belli animus: adeò ut tantæ multitudini, nec Aſia, nec Africa, ſed nec ipſa par eſſe potuerit Europa. Quid? quòd cum peritiſſimi rerum politicarũ Indagatores, dominium Hiſpanicũ tot novi veteriſq; orbis Regionibus fultum & farctum cum Turcicis comparare conati ſunt, has illis præferre, multis de cauſis coacti fuerunt. Sed cur ego vos hîc detineo? Neq; enim verendum, ne veſtris auſpiciis, vel majores non frangantur vires: & quæ ex ſcriptis dictisq; aliorum didiciſtis, ſatis ſupérque, & opes & quantis adminiculis vaſtum hoc dominium innitatur, vos docere valebunt. Jam verò propoſitum & ſtudium immane, & conſilium de atterendis Chriſtianis, me tacente, intelligitis & perſpectum habetis. Sacramento ſeſe obſtringant omnes Aſiæ Tyranni, hoc ſibi unum fore curæ, vicinos & præcipuè Chriſtianos, ſedibus pellere, & novas regiones Imperio adjicere Ottomannico; Hac de cauſa cum diſcordias, & varia inter nos partium ſtudia & factiones ſubaudiunt, valde exultant, & non adeo ſunt ignari eorum, quæ in Europa geruntur, ut de inflãmandis inter nos odiis ſæpius non conſilia ineant. Huc pertinet, quòd Alexandrum Sextum, Pontificem Romanum & Franciſcum Galliæ Regem legationes quâ Secretiores, quâ publicas, ad nominis

Chri-

Christiani hereditarium hostem mittentes, liberali responso & humanissimis pollicitationibus, & spe ingenti lactârint.

Nostro tempore an non pace Hungaricâ firmatâ, sacrosanctis patriiq; iuris vinculis, Cæsarem, vincire & præcipuos Ecclesiastici ordinis Consultores, muneribus & illecebris decipere ausi fuerunt? Verùm, pacem istam insidiis patere, & scatere scimus: Odium hostium in nos omnes fatemur: Potentiam novimus: .propositum & quid pectore volvant, tenemus. Quid restat? nisi ut oremus obtestemúrque vos, ô numinis æterni in Terrâ locum tenentes Principes, ut causis quæ ad bellum vos ducunt, ponderatis, vires, animósque coalescere, & incalescere iubeatis, viámque ad victoriam, & ad immortalem nominis vestri gloriam fortibus factis, & ense districto, aperiatis.

Neque poterunt eorum me obiectiones terrere, qui bellum feliciter suscipi posse negát, nisi prius unione (quod illi miraculi prodigiiq; instar, vix evenire posse putant) inter vos introductâ, unanimi cósensu copias coniunxeritis. Ego enim quanquá Principú omnium cósensum, hac in re necessarium duxerim: præcipuos tamen, si officium facere voluerint,

magnum quid præstare posse censeo. Nam si sub Imperatoris in Hungariâ belligerantis vexillo, annis pximè elapsis, & Gallos & Italos, & Polonos, & Hispanos & Scotos atq; Anglos, dimicasse & concordes vixisse recordamur: Si diversarum Religionum asseclæ sub uniu Ducis Imperio fortiter manus cum hoste conseruerunt: an non inposterum idem sperabimus? An antiquum honorem intermortuum autumabimus?

Cedant igitur affectus, rationi: Possideant in pace, quæ Principes titulo legitimo acquisiverunt, Stent promissis, & fidem vel hosti vel subditis datam non frangant: prisca nos tegat simplicitas: Fœdera & pacta argumento & vinculis Iphicratis, Lacedæmonios alloquentis, sarciantur: Canat Orpheus: Taceant Sirenes. Omnia si perdamus, sapientia tamen ut perseveret nobiscum, enitamur. Exurantur, prohibeātur libri famosi, &, quas Plutonica parturiunt Ingenia, criminationes: quæ

——————Cæcos instare tumultus
Sæpè monent, fraudésq; & aperta tumescere bella.

Non sit locus iis, qui malunt interpretari Imperantium mandata, quàm exequi. Gerant se, non ut partes, sed patres, Principes. Ipsi illi sint cincti sacrâ & patriæ patribus debitâ reverentiâ. Columnæ statuum & Rerum publicarum stent immotæ: Vigeat

Reli-

Religio: virescat justitia: Consilio sua constet autoritas. Thesaurus radices agat & crescat. Indigentiam prudens Dux auerruncet, & querimonias; Sin minus irrepunt vitia & pestes: Et,

Hinc usura vorax rapidumq; in tempore fœnus,
Hinc concussa fides, & multis utile bellum.

Moribus vivamus antiquis. Exterorum vitia ne quis nequam imitetur: Omnia probemus: Quod bonũ, teneamus: Promethei non Epimethei clavum gerant. Sit scopus actionum salus populi, tranquillitas animi, pax conscientiæ. In hoc omnes, nullâ habitâ Religionis differentiâ, consentiant. Ad Garamantas amandentur & procul eant, qui proditiones moliuntur, quales simul & semel, cum Venetiæ tum Bohemia & Batavia, eodem mense & die viderunt, obstupuerunt. Quæ, malùm, est ista tanta impietas, quæ, ad arma, ad arma, inter Christianos, falsis inanibusq; de causis, vos concitat? Artes malignas cavete, arrogantis & novæ sectę mentientis titulũ, & Sanctũ Sancti Servatoris nomẽ, sitientis & sentientis cruorẽ potẽtum: q̃ dominatura, nisi coerceatur; oppressura, nisi quod Veneti, quod Bohemi factitarunt, opprimatur & ejiciatur. Non Græis cõjurationum sororibus vetulis, sed Gorgoni amputati capitis gladio stellato, & dextræ ferat Perseus victoriam acceptam. Sit Regula præliorum Cònstan-

tia Herculis, non Acheloi instabilitas. Populi & subditi armorum exercitiis subinde fortiores fidentiorésque reddantur. Non nimia in mercenarium militem spes collocetur: qui & nocivus & insolens, & ipsorum, quibus servit dominorum est contemtor, & destructor. Credite hoc literato, Armamentaria & munitiones & tormenta bellica, aliud nõ esse, quàm Leonis pelle indutum Leporẽ, nisi dispositio adsit militaris populorum, & exercitia armorũ. Quos quotidiana exhauriunt tributa, hi imperio parando pares erunt nunquam, nec ullum sine exercitio sanitatem obtinebit corpus. Et quanquam humano corpori nemo cubitum adiicere possit: Politico tamẽ, id est, Rerumpublicarum & Statuum machinis, prudẽtes Rectores, magnũ cumulum, seminaq; incrementorum felicibus legibus & moribus superaddent. Hæ igitur vobis sint augustæ artes, quarum nomina, & operas Augustas, Deus esse voluit. Abigantur, quæ animos molles, & effœminatos reddũt. Suum cuiq; tribuatur, & Tifones nováq; & insolenter insurgentia monstra pereant. Porrigatur & tendantur manus liberales iis, qui vim consilii & ingenii fidam, in choro, in foro, Principib, porrigunt atq; tendunt. Nefas sit, hos tãtos viros, quos partẽ corporis sui nominavit Imperator, in paupertate

tate languere aut non experiri liberalitatẽ veſtram, q̃ nunquã pulchrior quàm cùm, uti Luna, plenior. In hûnc finem, tot vos pluviis, tot fluviis beneficentiæ Deus irrigavit, ut vos alios & hos cumprimis.

Ducatur victor Exercitus, ſub auſpiciis magni Cæſaris in Hungariam contra hoſtes hereditarios. Advolent auxilia Italorũ, Gallorum, & quorũ cordi inſculpta ſalus publica. Dux ſit Germano ſanguine cretus, quem Cæſar & propria virtus commendârit. Alterâ ex parte Poloni, gens bellicoſa, non in Moſcos, ſed Turcas arma expediant. Rex Hiſpaniarum & Triremes Italicæ, mari in Tyrannum impetũ faciãt. Veneti ſincerè bonam cauſam tueantur. Perſę, Georgiani, Druſi, & multi, quos dura premit ſervitus, prodibunt è latebris, & quâ data porta, ruent, atque in libertatem ſe vindicabunt. Erit victoria tuta, facilis, glorioſa; nec utilitate carebit. Qui gladios in fratres ſtringere, & duellis divina humanáq; iura violare ſatagunt, in Caſtra veniant. Quibus volupe eſt, iratos exonerare, & expectorare ſpiritus, campũ hunc ingrediantur. In hoc honoris templo tabulis adamantinis, memoriam rerum geſtarũ inſcribant, & viam, quæ unica ad immortale dignitatis conducit decus, inſiſtant. Mittat pia Imperii ſummi Mater, Germania, ſuos Heroes Matthiam

thiam Cæsarē, qui toties Turcas terga vertentes & signa vidit in acie: Et Æmilianos, & Albertos & Leopoldos Austriacos, & reliquos, qui viriles gerunt animos: Principes Palatinos, Saxones, Brandeburgicos, Anhaltinos, Hassiacos, Badenses, Nassovios, Jungāt sese socios, vicini Reges Angliæ, Daniæ & Sueciæ & belli fulmina Rex Poloniæ cū filio magnæ spei Principe. Adeste & vos Gallici Martis filii: Condæos appello & Guisios, & Lotharingos, & Bullionæos, & Mainios, & Desdigerios: Et vivacissimos pugnacesq; nobilitatis vestræ ardentes efflorescentesq; Triarios. Ex Italia veniant, & ex Hispania & Hungaria, Principes Saubaudiæ & Pedemontii, & Spinolæ & Velascii, & Medicæi, & Colonitschii &, Bethlemii. His omnib. cura princeps erit: odia exuere & inimicitias privatas, & armorū animorūmq; spicula, insolos torquere Turcas, & pro patria, pro Religione, pro Libertate, mortem appetere & oppetere. Quod si feceritis, si aurem præbueritis fideliter monentib. Et vos vestrosq; metu omni, & patriam liberabitis: Et ora vocesq; bonorū, quę nunc gratanter felicib' sed tacitis vos præsagiis salutant, arma & victorias vestras, & Trophęa, & Triumphos, & immortales adorandasq; gloriæ nō intermoriturae adoreas, serâ perenniq; gratitudine decantabunt.

F I N I S.